

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

& diuturnum & ad posteritatem stabile efficias, toto DEUM pectore precor. Lætor etiam, te fructum hunc studiorum & laborum tuorum uberrimum & jucundissimum percipere, ut senes parentes tuos, virtutis & gloriæ tuæ spectatores isthic præsentem habeas, ac ut diu hoc suavi contubernio frui isthic tibi liceat, opto.

Quod de præsentis Academiæ statu me docuisti, amanter gratum habeo, idque ut deinceps facias, oro. Significes etiam, quem in Stiriaca schola successorem reliqueris, & an pagellas illas legum, de quibus superiori anno scripseram, habere possim. Edidi epistolas aliquot Patriarchæ Constantinopolitani & Alexandrini, recens ad Germanos scriptas, quorum perustrationem tibi non insuavem fore spero. Lectum igitur exemplum Reverendo & clariss. seni patri tuo trades, eumq; reverenter & officiosè verbis meis salutabis. Pluribus enim libellis tabellarium morosum onerare non licuit. Apud nos omnia pristino loco sunt. Quem ex consiliariis isthic maximè amicum & familiarem habeas & sincerum judices, cupio à te doceri. Benè vale. Idibus Febr. 1580.

David Chytræus.

IV.

Quod de consiliario tibi amico quæsi, hæc causa est. Novisti Joannem Grevenstein, præfectum nobilium Menzingensium, Græcè & latinè benè eruditum (ur ex Græco carmine, quod scribit, judicari potest) & in omni officio diligentem ac fidum. Uxor etiam industria Oeconoma, ac rei culinariæ peritissima est. Is optaret, vel præfecturam aliquam, vel, quod maximè cupit, Oeconomiam in Academia sibi commendari, ubi Doctorum hominum consuetudine frueretur. Existimat autem, mea intercessione apud consiliarios se juvari posse, in quo haut dubiè fallitur. Sed tamen expectationi & voto ipsius vos respondere posse optarim. Quæso igitur, ut de tua voluntate & consilio aliquid nobis significes. Vir enim optimus ac verè *εργασίος*, h. e. officiosissimus est. Cujus tibi gratissimam fore conjunctionem non dubito. Si quid prodesse ipsi poteris, ita accipiam, ac si in me ipsum contulisses. Iterum vale.



V.

S. D. Reverende & doctissime D. Erasme.

Georgius ille, qui se Uranium nominabat, de cujus polypragmonicis & pleonecticis actionibus isthic susceptis, superiori anno, 3. Cal. Septembr. ad me
Hhhh 2 scri-